PANÆGYRICVM,

SEV ORATIONEM DEMONSTRATIVAM IN HOMINIS, ET EIVS ANIMAE IMMORTALIS LAVDEM.



DECIMA DE DON IVAN DE MENdoça y Carauajal Gentilombre de Camara del Conde mi ſeñor. A la obra.

AVNQVE la fee no enſeñara
El alma ſer inmortal,
Vueſtra erudicion es tal
Que a perſuadirnos baſtara.
Si en lo eſcrito ſe repara
Con euidencia ſe vee,
Que contra noſotros fue,
Pues eſto tanto aclarays,
Que con razones probays
Lo que creemos por fee.

OTRA DEL MISMO AL AVTOR, y a la buena eleccion que hizo en dedicar eſta obra a ſu Excelencia el Conde mi ſeñor.

QVANDO vueſtro entendimiento
Notorio a todos no fuera,
Oy jecutoria adquiriera
Con aqueſte luzimiento.
Y dudo, mirando atento,
Doctor, vna y otra accion,
Por qual en eſta ocaſion
Mas credito grangeays,
Por lo que nos enſeñays,
O por tan buena eleccion.

EXCELLENTISSIMO DOMINO; AC Domino meo nobili Gaſparo Ildephonſo Perez de Guzman el Bueno, Comiti de Niebla, totiuſque maris Oceani Genera iſsimo Duci, Doctor Simon Ramos eius medicus à cubiculo, hunc Panægyricum, ſeu Orationem demonſtratiuam, in hominis laudem, & eius animę immortalis, conſecrat, & dicat.

QVAM me valde delectent, Excellentiſsime Comes, tua de negotijs literarum colloquia, & de rebus arduis cenſura, atq; in omnibus tuè ingenij naturalis claritas, & prudentia, vel ex eo licet intelligere, quod leues quæſtiunculas tuis argumētis difficillimas facias. Quid mirum? ſi quicquid otij, ac temporis à neceſſaria cura tuæ, huius reipublicæ ſapienter moderandæ tibi ſupereſt, id omne honeſtis, atq; optimis diſciplinis (quæ ſecundas res ornant, aduerſas ſolātur) tribuis; vt nec in venatione quidem ipſa, qua interdum literis, tibi temperes; quin vel de ferarum quas proſequeris, aut cœlorum, aut elementorum, quarumcunq; ve rerum natura fere ſemper diſputes: quo fit, vt Mineruā non minus quam Dianam errare in montibus, campis, & ſiluis ſubinde experiamur. Audiuiſti me diebus præteritis coram Principibus multis diſputantem de animæ immortalitate, atq; de hominis excellētia ſupra reliqua animantia, quando Philippus Quartus Hiſpaniarum Rex, ad tuam ampliſsimam nobiliſsimamq; domum peruenit, viſendi gratia Excellentiſſimum Pa-

ſigue aqui donde eſta †

crans, ad te confugio, vt fessus requiem, vt salutē æger vt fontem sitiens, vt vmbram æstuans quærens; quia glorior præuilegio amoris tui, quod me habeas, non solùm in memoria, sed semper in gratia: ita quoq; eam seruare decreui, vt oculos nostros, & qua par est obseruantia rogans, vt opusculum hoc leue, ea vultus serenitate accipias, qua alias meas maioris momenti lucubrationes splendidissimo nomini tuo inscriptas accipere promisisti: quod si videro gratum tibi fuisse, vtiq; ad alia limatiora ædenda, & tuæ celsitudini dicanda prouocabor. Interim me tibi deditissimum benigno fauore prosequere, & ab inuidorum calumnijs vendicato. Vale Mæcenas, vale decus meum; Deumq; Optimum Maximum deprecor, vt incepta tua in bello fœcundet, & dominam meam, vxorem tuam prudentissimam ita fœcundet, vt appareant filij vestri sicut nouelli oliuarum in circuitu mensę. Macte animi (Excellentissimæ Domine) & me iterum, atq; iterum tue.

(?.re.?)

Obseruantißimus, ac deditißimus tuus Medicus, Clientulus, & Seruus

Doctor Simon Ramos.

trem tuum ægrotantem, matremq́ tuam charisſimam, quasi alteram Reginam alloquendi. In tanta dignitatis, & honoris amplitudine, in tantis rebus quas tunc per tuammet gerebas personam, hoc otij supererat, vt nõ modo amicorum (plus dico seruitorum) memineris, meq́ præsertim publico affeceris honore, amoremq́ erga me sis confessus, sed omnes ad te pertraxeris, meq́ rapseris, quod probitatis tuæ, & benignitatis clarissimum est argumentum. Pari etiam cum laude tunc ipse literarij certaminis ita arbitrum iudicem egisti, vt pro me defendendo, ipse tu certare videris. In qualibet enim concertatione non minori elloquentia, quam dignitate iuditium interponis, grauiterq́ decernis. Sed cum de re philosophica, aut medica disputatio incidit (incidit autem frequenter) tu res medicas, ac philosophicas non aliter tractas quam qui omñi vita nihil aliud egerit, vere cum Platone diiudicans non aliter fœlices fore respublicas nisi si aut Philosophis committeretur imperium, aut quibus imperium contigisset, Philosophiam sequerentur. Quid de lenitate dicam tua, cum grauitate compensata, & suauitate, nihil abiectum & consternatum habente. Apparuisti tum Genere clarus, Corpore aptus, Forma elegans, Viribus fortissimus, Celeritate rapidus, Moribus honestis, Ingenio singulari, & prope diuino præditus, & tandẽ fælix in omnibus: hæc enim omnia, etsi gloriosa quidem sint, ob id tamen gloriosiora, quia in te sunt. Oratione hac, seu Panægyrico ad hominem, quem in publicum mitto tuæ celsitudine conse-

PANÆGYRICVS AD HOMINEM & ad animam eius immortalem.

A DOCTORE IMONE RAMOS Medico à Cubiculo Excellentissimi Comitis de Niebla.

Probatur, & demonstratur esse indignum hominis Christiani, & errorem grauem, asserere animæ immortalitatem repugnare principijs Philosophiæ, & secundum ipsam non posse probari esse immortalem.

Ad amicum. Persuasio nè in tali errore persistat.

ADMONITIONIS meæ erga te (vir præclarissime) initium sumês, Deum deprecor ea mihi suppetere, quæ deceat eloqui, & pariter tibi præstari, vt ab hac contentione solutus, & ab errore hoc liberatus, eaque tibi tantopere profutura sunt in præsens deligas: minimè existimâs quidquam te illis contumelliæ errogaturum; si quam contraria ijs quæ tu minus rectè existimasti, ea nunc vtilia tibi videbuntur, exacta namq; rerum perscutatio ea etiã ipsa quæ sæpè numero rectè se habere visa sunt, alia omnino, quam prius apparuerãt, ostendit. Cum itaque nobis de animæ immortalitate sermo proponitur (quo nihil certius existimatum esse ab Aris-

tote

totele, Platone quamplurimisque optimis Philosophis puto; quod non modo maiores nostri, Euangelia, & Prophetæ diuinitus prædicarunt: sed & illi Philosophi, quos veras diuinasque sententias nouisse censuisti) opere prætium, ergo iudicaui hoc ita examinemus, vt qui de animæ immortalitate aliquam falsam doctrinam perceperunt, nunc saltem respicientes, á veteri illo errore iam se liberauerint. Sed cũ clare, dilucideque ostensuri simus animæ immortalitatem; esseque immortalem secundum bonam Philosophiam; ante quam in hunc campum descendamus, aliqua prius ad indagandam veritatem philosophari licebit.

Panegyricus ad hominem, & ad animæ perfectionem, & immortalitatem.

SEmpiternus vniuersi Architectus postquam inefabili eius sapientia hoc mundi theatrum construxerat, abyssum, & elementa cuncta varijs exornata viuentibus solo nutu creauerit, elementoreum firmamementum, tornatilesque cœlos, & eorum cardines sursum formauerit venustè: terræ tandem globum omniparentem illis cunctis subiecerit; hominem tanquam totius fabricæ coronidem, aut colophonẽ ad eius similitudinem plasmauit, atque imaginem: sibi congratulatus tanta rerum venustate, tantouè decore potitus, vidensque tam admirabili harmonia submensura, & pondere vniuersa creata, & optima, & pulchra esse; ne iterum in pristinam resoluerentur deformitatem (cum summum sit certo malũ in nihilũ redigi) æternitati ille qui æternus, & solus est bonus, hæc pulchra, hæc optima serio cõsecrauit; arbitrans forte malum esse (vt Plato censerat) pulchrum, & optimum *Plato in Timeo.*

timum

timum velle dissoluere. Et quamuis Deus omnipotens Maximus hac bonitate ductus, cuncta fecerit mira quadam rerum vicissitudine, eademque quando sibi placuisset dissoluere valebit nos latente exolutionis ratione.

D.Tho. 1.p. q. 10.ar.3

Verum cum singularia omnia creauerit omnipotens principia habentia corruptionis obnoxia, elementaque in eis inuicem pugnantia coniunxerit, aut in amica quadam discordia (vt serio Impedocles inquit) aut ex differentibus pulcherrimum cōcentū Eraclitus formari censet, & simul per discordiam fieri omnia; haut dubiè hæc omnia cunctis creatis certam quandam præsagiebant ruinam. Cæterum in hominib⁹ (pro dolor) per peccatum intrauit mors, non per qualitatum ametriam, & repugnantiam sicut in cæteris creatis; huius enim stimulus peccatum est, seu peccati lex: namque summa Dei benignitate in genus humanum per origeneam iustitiam homines inexterminabiles fuissent, omnique ex parte seruandi erant immortales, vt ne per principia quidē naturæ corruptionem vnquam paterentur (& si ab internis principijs quibus corpora constant corruptioni, & morti essent secumdum naturam expositi) vnde habito quodam statu, & hæreditario simul iure omnes nos mortem gustamus inexorabilem, (culpa itaque nos fecit filios iræ, & alienauit nos à summo illo honore filiationis Dei, & ita nos abiectos reddidit, quousque ad brutā viuendi, & moriendi rationem nos deiecerit. O infælicior cunctis mutatio infælicissimum quippe infortunij genus est, fuisse aliquando fælicem!

Sed quantumcunque hac infælicitate sortiatur diuinum hoc animal operum summi artificis periocha, & perfectissimū eius actionū extremū, tanquā totius vniuersi decus, etiā mutuis nexibus corporis, & animi, exornatur. Mirabile factu; extremis conglomeratur homo, spiritu, & corpore, æterno, & corruptibili, cœlesti, ac terreno, luce, ac tenebris, vita, & morte, vt ex tā inefabili opere, admirabilis sit facta scientia Dei. Hic itaque homo non solum per corpus ignobiliorem

Lactantius lib. 2. de Originis erroribus, cap. 13.

rem ſane partem ſit æternus, verum & per formam auram videlicet diuinam omni forma præſtantiorem æternitatem adipiſcitur fælicem, & ſuſcitatus meritis ſecundi Adami Ieſu Chriſti, totus homo fælici illa, ac beata fruetur æternitate. Nec enim eſt quod Epicureos, & alios materiatos Philoſophos, aliqua de brutorum dotibus ab illis connumerata ſic rapiant, quaſi brutis, hominibuſque nihil putemus intereſſe; nam inquiunt infinitas eſſe brutorum animantium admirandi artificij dotes, quas mente, calamovè vix licet complecti. Si enim ipſorum naturam diligentius inſpicere volumus, adumbrata virtutum veſtigia cernimus, magnanimitatis, prudentiæ, fortitudinis, clementiæ, docilitatis, multa enim inter ſe charitate tenentur, vtilia ſecuntur, declinant nocitura, coagerunt, conducuntque ad vitam, & victum neceſſaria, tempeſtatum denique aeris clara dant præſagia, ſenſu ſunt acerrimo, & exquiſitiſsimo, vocem ad numeros modulantur, amicitiæ, & caſtitatis iura religioſè colunt, humanas voces reddunt, & emulantur, eorum præſertim ſanitatem tueri, morboſq; depellere poſſunt, notitiam habent ex ſe ſe minimé ab hominibus edocta; quin ſalubrium rerum magnam partem homines edocuerunt. Vnde tot remediorum notitia, qua nunc medicinæ ſcientia diue ſplendet, quam à brutis animantibus? dictami enim certas ad euellenda ſpicula vires cerui nos edocuerunt quando venatorum tellis impetiti, relicta in corpore ſuo tela eo remedio extrahunt. Celidoniæ herbæ ad viſum mira vis hirundinum documento innotuit, quod ea pullorum oculos illinire, & roborare cernuntur; ſerpentes palpebris fæniculo illitis ſeneſcentem oculorum aciem ſibi acuere, & reſtituere creduntur. Teſtudo aduerſus viperarum morſus ſatureja deuorata ſe munit, & tuetur, vrſi contractum ex mandragoræ vſu venenum, formicarum eſſu depellunt, ijdem ventris ſegnitiem quam ſibi ex veternoſo in ſpeluncis ſopore contraxerūt, ari eſſu caſtigant; mira verò ipſorum eſt in alliciendis, & reijciendis formicis aſtutia, formicarū cauernas, ſeu foramina taciti adeunt, illique humi toto corpore, veluti ex ani

mes suſſi, linguam saliua madidam exerunt; nec ipsam ante in palatum reuocant, quam eam formicis humoris dulcedine illectis refertam censerint, hocque deuorato tanquam chatartico noxios, quibus grauantur humores per intestina depellunt. Inuentæ flebotomiæ beneficium debemus Hipitamo, qui cum se sanguinis copia oprimi sentit, ad acutiores ripæ Nilicanas aflicto fœmore sibi venas pertundit, & super abundantis sanguinis onus deponit, sistitq; cum vult, vululato percrassum, & obstruentem limum corpore. Cuncta narrare, quę á brutis animantibus didiscimus tuendæ vitæ, & sanitatis præsidia, nimis longum esset, & operosum; quæ res veterum Philosophorum per multos in eam dubitationem impullit, vt quærant, bruris an ratio inesset, & immortalitatis animæ rationalis dubitandæ occasionem præstiterit.

Sed quamuis hæc de belluis iactauerimus, nulla est belluarum ad hominem comparatio, nimium inter vtrumq; intereſt; hominis enim animus religione, iustitia, prudentia, magnanimitate, fide, pietate, modestia, clementia; fortitudine; alijsque virtutibus cunctus est, quæ multo clariori luce emicant quam in belluis. In vno enim homine simul omnia insunt, quæ singula in brutis putantur maxima. Cum enim ad Dei imaginem creatus sit homo, fieri nequit (quãtumuis vitiorum sordibus se polluat) vt congenitum illud lumen sic obscuret, quin sapientiæ illius diuinæ radius semper aliquis ipsi hæreat, & affulgeat. Quamuis vero colatione ad quædam bruta mancum quoddam, & debile animal videatur, nulla tamen belluarum poteſt esse tanta fortitudo, nec tantum robur, quod hominis fortitudinē adæquare posit; insculpsit enim in homine Deus diuinæ virtutis suæ characterem, cuius nomine fultus omnia sibi bruta haberet obnoxia, & obsequentia: ac licet ex ijs, quæ antea diximus rationis quædam vmbra brutis inesse videatur, non est tamen tenue eius lumen in multos, variosque vsus promtum, & comparatum; sed tantum illis est modo concessum prudentiæ quantum sibi, corporique conseruando satis esset

ſet.: at homini ratio conceſſa eſt ad æternæ vitę fructus decerpendos, quo fit, vt ſolus homo inter tot animantia, diuinorum ſenſum habeat, quod ex eo intelligi putabat Cicero quod vnus homo perceptã animo de Deo haberet notitiã. Itaque rerum omnium gerendarum adiumentis, ratione oratione, & manibus á Deo donatus, ſuper ingenio ſingulari, ac prope diuino, facile brutis ſupereminet omnibus. Si enim hominis corpus eſt á natura nudum, & inermè, & mens tanquam tabula raſa, in qua nihil depictum eſt in nuditatis ſubſidium habet manus, in ignorantiæ ſupplementum, rationem, & orationem, hiſque tribus rerum infinitarum tanquam miniſtris, corpus rebus omnibus neceſſarijs veſtit, & munit; animum autem artium, & ſcientiarum cognitione locupletat, ratione duce res ad vitam neceſſarias ad innenit, rebus inuentis, nomina ad earum naturam acommodate impoſuit, literas, & characteres efinxit, artes omnes ingenuas, & liberales excogitauit metiendæ terræ, & maris rationem commentus eſt, globi coeleſtis ſpatia, aſtrorum diſtinctiones dierum, & noctuũ, temporum, & tempeſtatum renaſcentium viciſitudines, ſtellarum ortus, & occaſus, in hæc inferiora vires, & effectus adnotauit, & in artem coegit: denique vel de ſua, vel de aliorum natura de vita, & moribus præcepta, & placita, literis ad ſempiternam memoriã prodit. Iam ſi congenita haberet arma illis ſolis vteretur, ſi artem aliquam ſciens naſceretur, reliquas ne attingeret quidem; quia ergo vtilius erat armorum omnium vſum ad manus habere, arteſque omnes callere, ideo ipſum naſcentem omnium expertem, omnium ignarum eſſe voluit. Sic igitur his tribus tanquam omnium artium inſtrumentis, bello, & pace vteretur, nihil taurorũ cornibus eguit, nihil aprorum dentibus, nihil equi vnguibus, nihil denique vllis aliarum ferarum armis: Manuum enim beneficio alia arma longe vtiliora, & fortiora tractare poteſt, vt lãceam, enſem, tragulam, arcum, fundam, & bombardam. Si corporis celeritate Leo hominem vincit, quid tũc? num propterea inferior? minimè. Manus enim opera, ratione duce ſubiectato equo

Cicerõ de natura deorũ

Leonem

Leonem cursu preterit, arbitrarioque accessu, & recessu victor prosequitur, aut impar fugit; denique homini abunde præsidia omnia suppetunt, quibus se à reliquorum animantium impetu defendere queat: ad hanc enim rem non solum lorica se cingit, sed & eneis mœnibus, fossio, & vallo defendit vestimenta sibi texit, retia captandis piscibus iactat, retrahitque: omnia denique quam fælicissimé perficit, vniuersæ terræ dominatur, cuncta quæ in eius visceribus latēt, quæ supra ipsam progrediuntur, atque repunt, quæ in mari natant, & per aera volant, vel vbique cœli concluduntur ambitu, humani sunt iuris. Tanta est humani ingenij docilitas, tanta corporis obsequentis diuino illo muneri ingenij facilitas, vt non modo diuersarum nationum tot idiomata, & linguas, verum omnium brutorum licet toto genere ab humana specie discretorum, non solum voces emulari, & effingere, sed & intelligere quod portendant, aut significent noscere valeat. Infinito enim, & inexhausto cognitionis de Deo flagrans, sublatis in cœlum oculis, atque mentis luminibus diuina discit, & intelligit, quod cœlestis animæ nostræ originem, & in dubitandæ immortalitatis tam certum est argumentum, vt qui hæc videat, dubitare nullo modo possit: taceat nunc Belluinus ille Epicurus, qui hominum corpora, casu, & fortuito facta affirmabat ex turbulento scilicet atomorum concursu; exibiletur, & explodatur, vt imprudēs Momus, qui multa in humani corporis structura; manca, mutilaque agnoscebat; exulent á naturæ schola Plinius, omnesque illi pheudo Philosophi, qui naturam iniurijs lacessere non desinunt, quod nudum, & inermem in nuda humo natali die abiecerit hominem ad vagitus statim, & ploratum. Quam male philosophentur, & quam iniqui sin diuinorum munerum æstimatores, iam audiuistis. Si enim nudum creauerit hominem Deus, hoc fuit vt rerum omniū quæ naturæ lege, imperioque continentur, princeps esset; quemadmodum enim sensuum organa omnis alienæ qualitatis expertia sunt, vt rerum omnium species admittere queāt, nullus in cristalino peculiaris color, nullus in auribus

P. Frat. Luis de Granada in suo lib. de exortune ad virtutē lib. 1. f. 17.

nati

natiuus sonus, lingua nullo sapore fucata, nares odorem nullum ex se non habent, tactus extremorum nullum optinet: ita non decuit hominē qui potestate quodam modo erat omnia, peculiari aliqua arte, & industria ornari: nulli armorum generi addictum esse debuit, qui cæteris animantibus erat imperaturum. Illi enim cœlestes inesse igniculos, seminaque diuinitatis impressa in facie, eius maiestas testatur, quare animal adorandum, & admirandum â sapientissimis Egyptijs appellatum fuisse prodedit antiquitas, miraculum magnum Deo similimum à Mercurio Termagistro nuncupatur, Pitagoras rerum omnium mensurā esse dixit, Plato vniuersi exemplar, Aristoteles animal politicum ad societatem natum, Synesius corporeum, & incorporeum orizontem, Tulius diuinum animal plenum rationis, & consilij, Plinius mundi Epitome, & naturæ delitias, omnes veró vno consensu Michrocosmon idem paruum mundum esse dixerunt: corpore enim corporum, anima animatorum omnium vires continet.

O homo audacissimæ, & omnia confidēter molientis, naturæ lecus, o augustissimum Dei templum, & simulacrum; vt enim in numismate charagma regia sit in homine Dei conspicitur imago: quare regius Propheta cœlesti numine plenus eius dignitatem extollens, inquit Deū fabricatorem in eius formatione ita extitisse, vt paulo minus ab Angelis ipsum creauerit.

Præclara sunt hæc ne dicam diuina hominis encomia, quæ partim ab anima formarum omnium præstantissima, partim á corpore corporum omnium mensura, & veluti exemplari habet. Anima quidem adeo diuina res est, vt supra naturales omnes formas sese aliquando extollens, res incorporeas ab omni materia seiunctas, mirifica illa, prorsusque libera, & cogi nescia vi mentis contemplatur. Hæc si oculis cerni, aut saltem omnino concipi posset, admirabiles quidem sui amores excitaret: sola hæc creatur, non generatur: & licet in ipsius productione subiectum supponatur, nō tamen ex illius educatur potentia: sola hæc indiuisibilis,

cætere

cętc ræ omnes formæ naturales augentur, minuuntur, & diuiduntur cum subiecto; sola est immaterialis, sed tantum cũ materia habens commune, quod omnium specierum est capax non secus, ac materia prima formarum omnium. Nec tamen par est, similisque in hac, & illa recipiendi modus; materia enim sine cognitione formas recipit indiuiduas, anima vniuersalia, cum cognitione; materia particulares formas materialiter admittit, & cum obiectione contrarij: anima vniuersales rerum ideas ab omni materiæ contagione liberas, & absque contrarij abiectione excipit: sola hæc incorporea est, & impatibilis: hæc specierum omnium locus, & promptuarium dici potest: delentur enim in organo sensibiles species: sola anima eas conseruat: hæc (secundum Platonicos) in medio rerum omnium est gradu, cum supra se Deum habeat, & intelligentias, infra se corpora, & qualitates, vt ita amborum sit particeps, & in illa lucet imago Trinitatis mira, ratione trium principum facultatum memoriæ intellectus, & voluntatis: sed cur animæ essentiam describere audeo cum plane diuina sit? De diuinis autem tantum possumus dicere quid non sint? Cur naturam illius inuolutam intellectum meũ effugientem explicare instituo? Sunt enim hæc altioris ingenij, & alterius artificis, sed nullo modo catholicæ veritati opposita, imo ipsa fides non repugnare eius immortalitatem rationi naturali, & veræ philosophiæ determinauit, & post Conciliũ Vienense, & lateranense sub Leone X. videtur temerarium, & erroneum dicere, quod non posit demonstrari naturaliter animæ immortalitas, quæ veritas ineffabilis ostendi potest, ex capacitate animæ infinita, & obiecto; primo intellectus, secundo voluntatis, tertio ex appetitibus animæ varijs à natura insitis, quarto ex operibus eius á corpore separata, tam voluntatis, quam intellectus, quinto ex generatione formarũ & causis corruptionum, quæ in anima rationali esse nõ possunt: sexto ex conuenientia eiusdem animæ rationalis cum Angelis, & Deo; septimo ex præmio, & pœna bonis, malisque debitis: octauo ex varijs virtuiibus, & earum actionibus

bus, quæ perirent, & vitijs quæ contra sequerentur: nono ex pugnantia sensus cum ratione, & contra: decimo ex maiori omnium rerum publicarum, imo omnium fere hominũ consensu: vndecimo ex maiori vtilitate, securitate, & decẽtia huius opinionis.

Ex his omnibus manifestè constat quantum isti animarum rationalium parricidæ delirent quamq; temerariè opinentur, non verentes dicere, probari ratione naturali non posse immortalitatem earum. Est ergo animæ rationalis contemplatio mira velut certissima dux ad præclaram sui ipsius, idest naturæ propriȩ cognitionem: propterea magnanimos Principes Illustrissimos hæroas inuictissimos Imperatores hac cupiditate pellectos, in ipso etiam armorũ strepitu, tumultuq; bellico, hanc contemplationem excoluisse legimus. Alexander Magnus inter tot, tantosq; rerũ præclarè gestarum triumphos, se homines, animæq; naturam sub præceptore Aristotele diligenter obseruasse gloriabatur. Historiarum monumentis proditum est, Marcum Antonium Imperatorem ex hominis contemplatione sui constitutionem dedidicisse. Betuim, & Paulum Sergium Cõsules, olim Philosophis omnibus hoc publice legentibus adfuisse accepimus. Ingredere tu quisquis sis etiam Athe ingredere quæso sacram Palladis arcem (hominis cerebrum intelligo) & regiæ illius domus columnas, & concamerata inuolucra, superbi ædificij ingentem mollem, suffulcentia atria, sinus quatuor, speculum lucidum, plexus arteriolarũ labyrinteos, venarum mirabiles ductus, cerebri elices, & aquæductus, neruorum innumeras scaturigines, medullæ illius albæ quam sapiens funem vocat argenteum. Hinc in solis portas, & fenestras animæ (oculos dico) mentis aciem intende, cristalis fulgentis nitorem, humoris aquei, & vitrei puritatem, tunicarum contextum, musculorum in oculis versandis miram volubilitatem: intuere Auris internæ artificium laberinteis cocleis, fenestellis, Timpano, tribus ossiculis stepade, in cude in malleolo, musculis exiguis, neruo auditorio ductu cartilagineo tam á fabre concinatum. Lin-

gue

guæ pusilli corpusculi quod Anguilæ, & Murenæ in modum tam varijs motibus agitatur; vires, structuram, musculos, carnem propriam, membranas, neruos, ac frenum conspice: an non inuitus exclamabis: O Architectum admirabilẽ! O opificem inimmitablem, & cum Vatidico Poeta Hymnum Creatori canes; *Confitebor tibi Domine, quia tuæ sapientiæ magnitudinem declarasti in mei corporis fabrica.*

Admiranda igitur hæc in structura hominis Dei opera sunt, veluti magistri muti, libri vulgares Theologiæ, & Doctores diuinæ sapientiæ, quę nos mirificè docent quam falsa, & erronea sit opinio asserentium animæ immortalitatẽ non posse secundum rationem, & philosophiam probari: omnem enim rectam viuendi rationem, legesq́; omnes tam diuinam quam humanam, bonosque homines mores euerteres, omnesq́ue ventrem, veneremq́; Deũ haberent: itaque ã sua mente ipsam expellere cuncti debent.

Ad hanc causam defendendam dicta sufficiant, & quia mihi alia quam fidei, & Christianæ Religionis causa nõ est, & si pusillus vincam: aduersus inscitiam quilibet Catholicus Oratorem: facilis, & aduersum stultitiam responsio, quã nis difficilima sit stultorum emendatio: non multis armis opus habet veritas, non multis ictibus deijcitur falsitas, timida est malitia, nam quæ á veritate non veniunt, plerumque, & nullo impellente se ipsa subuertunt: nihil est facilius redarguere quam mendatium; superbus est, altumq; petit hic error, facile præcipitabitur, atrogatia inflati in summis gladiuntur vnguibus, iam isti Philistei quasi quemquã postrati sunt lapidibus, scriptura tradditione Patribus, Concilijs, & Pontificum, reliqum est vt capita præcindantur, idq́, iam ipsorum gladio fiet commodissimé.

D I X I.